quæque est quæ talem non abdicasset filiam, qualem ista
A alienam adoptauit? Quæ cum tali manens, se perditum iri
non timeret, qualem ista, vt vberiorem beatitudinem promereri posset, elegit? *Cassian. Coll.* 18. *c.* 14.

Patientiam quoque veræ humilitatis comitem & amicam, omnibus necessariam volentibus possidere animas suas, vt Christus ait, diligentissimè conseruauit S. Heduuigis Ducissa Poloniæ, nulli vnquam irascens, aut duriter respondens: sed omnes comiter appellans & alloquens; verbis consolatoriis cunctis se præbebat affabilem semper, quantum quidem fas esset, religiosa maturitate seruata. Quisquis ille esset, qui aliquid ei molestiæ, aut quod perturbationem afferre posset, quavis ratione intulisset, nihil ab ea audiuit, nisi hoc dūtaxat, aut quidpiam eiusmodi, placidè & leniter ab ea prolatū: Cur hoc fecisti? Ignoscat tibi Deus. Ea illius fuêre erga eos, qui molestiam ei exhibebant, conuicia & improperia, atque hunc in modum illos vlciscebatur. Accidit aliquando, vt vnus ex ministris eius, Chualislaus nomine, qui postea S. Dominici institutum complexus est, tres elegantes scyphos argenteos
B perderet. At illa nunquam id ei improperauit, nulla commoti animi signa ostendit, nec aliud dixit, nisi, Abi & quære diligentius, si fortè possis inuenire, quod negligenter custodiuisti, Idque tanta modestia pronūciauit, vt ægrè ferre non posset homo eius culpæ reus, quemadmodum ipse postea testatus est. In iis rebus, quæ magnam possent afferre perturbationē, virilem semper atque constantem animum, & iucundam faciem exhibebat, hoc ipso docens, patientia molestiam omnē superandam. *In vita eius c.* 3. *apud Sur.* 15. *Octob. tom.* 5.

PATIENTIA DAMNI.
Ex S. Scriptvra.

Rerum iacturam fortiter feremus, si nihil accidere absque diuino nutu posse crediderimus. Cùm ita Dei voluntas fuerit, quis est qui resistat ei? Si peccauimus, vult vt castigati ad pœnitentiam conuertamur. Si non peccauimus, vt sustinendo humilitate proficiamus. Non est ibi querelæ locus, vbi exercendæ occasio datur virtutis.

Iob inter omnes Orientales magnus (vt scribitur) pecorum
C vtique copia & seruorum familiæque nobilitate. At verò his repentè amissis, non solùm inter Orientales, sed etiam Occidentales magnus fuit. Patientia eius in aduersis vbique terrarum prædicatur atque extollitur. Dum autem prosperitatibus flueretur, in patria tantùm notus erat. O verè magnum & omnibus sæculis memorandum virum! cùm die vno tot opibus, tot seruis, tot liberis orbatum se cognouisset, corruens in terram Deum adorauit. Et, nudus egressus sum, inquit, de vtero matris meæ: nudus illuc reuertar; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Quia certè vel labiis peccare Deo, maius damnum maioremque miseriam esse existimauit, quàm cuncta quæ habuit simul amittere.

Ezechias cùm omnes diuitias suas nimis iactanter ostentasset legatis regis Babyloniorum, omnes pariter Babylonem Deo puniente transferendas audiuit. Cùm ergo tantam iacturam se facturum didicisset, non est turbatus. Sed quia pecca-
D verat, libenter & peccati pœnam admisit, dicens: Bonus sermo Domini quem locutus est, sit tantùm pax & veritas in diebus meis. Qua patientiæ humilitate meruit, vt illa regiæ gazæ direptio ad successores suos Ioachim & Sedechiam vsque differretur, quando etiam populus ipse ob delicta ductus est in captiuitatem. Non sensit damnum, qui eo se dignum confessus, animum statim ad sustinendum parauit. Qui verò sæpè aduersa passi vitam corrigere neglexerant, amissis tandem omnibus, iugum quoque tulêre seruitutis. Et qui leuiora malè tolerauerant, grauiora ferre compulsi sunt. 4. *Reg.* 10.

Sic in Euangelio Gergezeni illi porcorum damnum pluris facientes, quàm beneficium quo homines, & quidem ciues ipsorum à dæmonum læsione liberati fuerant, rogauerunt Iesum, vt inde à finibus suis & discederet. Indigni quippe erant præsentia ipsa Saluatoris, qui magis quàm se saluari concupiscebant.

At contrà Sanctissimi Apostoli cæterique Discipuli, vt soli Christo adhærerent, omnia quæ habebant, constanti erectoque animo reliquerunt, Neque Matthæus pecuniosum teloneum dimittere distulit, neque Zachæus dimidium bonorū dare pauperibus, & iis quibus imposuerat, reddere qua- E
druplū tardauit. Quia multò plus lucri se in vno Iesu facturos considebant, quam in omnium quæstu, quæ vbique sunt diuitiarum atque opum. Quòd si à posteris quoque, nisi in paupertate Christo fideliter seruiri non potuit, cur nos dolebimus aliquo rei familiaris detrimento, ob quod ad Dei cultum efficimur aptiores? Ad quem quisquis conuertitur, fragilium bonorum amissionibus non mouetur, dicente Scriptura? Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.

Porro ipse etiam Dominus ad seruandam huiusmodi patientiam nos compellit, dicens: Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Noli prohibere inquit, ne scilicet prohibendo magis irrites raptorem, & illum ad necem tui accendas, cui ne rem auferat, obsistis, atque idem & tibi ingentioris damni, & illi grauioris peccati causa fiat. Idcirco etiam ablata postea repeti Dominus vetat, vt potius patientia sustinendi, violentum vsurpatorem ad miserandum prouoces quam vlla repetendi molestia, ad iram. Talis præcepti ratio F
magis elucebit additis eorum exemplis, qui illud, cùm casus tulit, obseruarunt.

Historica.

Fundensis Monasterij Præpositus Libertinus, vitam pergens, fortè incidit in quosdam equites Gothos. Cumque equum sibi quo vehebatur abstulissent, etiam flagellum eis porrigere cœpit: Tollite & hoc inquiens, quod vobis ad agendum iumentum vsui erit. Illi abeuntes, cùm ad Vulturnum peruenissent, nulla vi equos, vt fluminis vada intrarent, cogere potuerunt, & memores iniuriæ quam Dei seruo intulerant, regressi sunt, vt equum sibi restituerent. Sed cùm ipse omnino abnueret recipere, ac diceret, eo sibi opus non esse inuitum superimposuêre, & protinus remeantes locum vbi prius substiterant, recto cursu pertransierunt. Quia ergo Libertinus, non modò non repetere ablata, sed nec recipere restituta volebat, recipere meruit vel inuitus. *Gregor. Dial. lib.* 1. *cap.* 2.

Eiusdem Monasterij Monachus, cui excolendi hortos cura G
erat, cernens in eo olera partim pedibus conculcata, partim sublata furto, & reperto aditu quo fur ingredi consueuerat, serpenti præcepit, vt illum custodiret, nec inde nisi iussus decederet. Proh pudor, irrationale animal seruo Dei obediuit, homo damnum irrogare non dubitauit. Fur ergo reuersus cùm serpentem conspexisset, præ timore se tetrò ferre voluit, & pede vepribus implicato pronus pependit, donec ab ipso olitore superueniente expeditus fuit. Tum ab eodem amicè admonitus est, ne vltrà furto tolleret, quod ipse petenti gratuitò concessurus esset. Itaque non olerum damno monachus angebatur, sed furantis peccato. Quippe qui illi sic deprehenso nihil se denegatum quod poposcisset dixit, & iam pœnas pro delicto soluenti, dum per pedes penderet, incunctanter succurit, *Ibid. c.* 3.

Isaac quoque apud Spoletanam vrbem Solitarius per spiritum præsciens fures ad hortum suum venturos, sarcula & rastros ibi apposuit, atque illi cùm noctu hortum ingressi fuissent, instrumentis protinus arreptis, vsque mane nihil H
aliud agere potuerunt, quàm terram vertere, & herbas infructuosas conuellere, donec Isaac aduenientes eis prandium attulit pro opera, insuper exhortans, vt à furto abstinerent. Semper enim quicquid eis opus esset, se libenter indulturum, & tunc primum omnis generis oleribus oneratos amicè dimisit. Itaque & cùm abesset, à flagitio illos cohibuit, & cùm adesset, rebus donauit, maius damnum reputans proximi peccatum, quàm sui hortuli, quo vitam sustentabat, vastationem. *Ibid. lib.* 3. *cap.* 14.

In Valeriæ prouinciæ partibus, cuidam Monasterij greges in proximo stabulabantur. Fur noctu ò ccidens, vervece sublato, cùm rediret, quia per cœmeterium transiturus erat, super sepulchrum, vbi illis diebus sanctus quidam Sacerdos conditus fuerat fixis vestigiis hæsit, & neque progredi, neque regredi potuit, nec prædam quam tenebat dimittere, donec facto iam die à monachis deprehensus peccatum confitens veniam popoſcit. Illisque orantibus, dimisso veruece, abeundi facultatem impetrauit. Sacerdos ergo ostendit grauem culpam esse furtum, reum vitium ipse mortuus mirabiliter retinendo. Monachi ostenderunt nihil se